Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 2dum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

per extremum autem soles termini non intelligunt: sic enim in Vena-
toria v. g.: possum dicere: isti et isti sunt termini huius artis
non autem possum dicere, sunt extrema artis. Item possum dicere hic
hoc stat in suis terminis quoad suum principium, non vero extremis,
ergo aliquid intelligitur per vocem terminus, quod non intelligitur
per extremum; possum autem de gladio dicere, quod de ense est
vinum in ergo non est pariter. 2do fatentur adversarii omnes alias
definitiones esse exactas, de nostra id tantum dicunt et non probant
nec solvunt argumenta; 3tio nostri cum Complutensibus in sua illa definitione
subintelligi volunt terminus est id extremum vel constitutivum etc.
ergo nos nihil novi dicimus, sed id solum audemus explicite ponere, quod
illi subintelligunt, scilicet extremum: cum praesertim passim etiam adve-
rsarii alias terminos semper vocent extrema, extremum scilicet maius
et minus: si ergo hic bene loquuntur, nec explicant idem per idem, cur non
etiam terminum ita definiunt, ut magis uniformiter loquantur.
4to quidquid sit facilius a tyrone intelligitur id quod est pars et
quod vel in quod resolvitur propositio, vel quod est extremum prop-
ositionis? videtur sane quod hoc ultimum, sic enim statim argumen-
dabitur vel occurret tyro: si id est terminus logicus, quod est extremum
propositionis, tunc hoc deberet esse in hac propositione petrus est doctus
petrus est doctus, quia non video aliud extremum, et natura dictat
quod copula quae ex sua essentia est medium inter extrema non possit esse
ipsum extremum. 5to quod denique non possim dicere terminus est
quo terminat, vel terminus est terminus, colligitur ex modo dictis,
et quod aliunde constet, quod non possimus uti iisdem terminis
et verbis, sicut si nescienti et interroganti quid sit vivens,
agens etc: nos responderemus, vivens est quod vivit, agens quod agit,
quia definitio et explicatio ignoti debent semper fieri per aliquid
notius. His paulo fusius dictis reliquas terminorum divisiones et
proprietates brevius percurramus.

Caput 2dum

De termino significativo et non significativo, cathegorimatico et syncathegorimatico, complexo, incomplexo etc.

sicut propositio, ita etiam terminus est quadruplex, mentalis scilicet vocalis, scriptus et obiectivus. Vocalis est extremum propositionis vocalis, terminus mentalis est huius cognitio, scriptus est extremum scriptum, obiectivus denique est ipsa res per terminum significata, unde etiam subiectum et praedicatum formale sunt voces vel cognitio rem repraesentans, subiectum vero obiectivum est ipsa res, copula formalis est coniunctio praedicati formalis cum subiecto formali, obiectiva vero copula est ipsa identitas, vel affirmata vel negata.

Terminus mentalis dividitur in directum et reflexum. directus est si cognosco rem ipsam secundum se, reflexus, si non tantum cognosco rem, sed simul cognitionem directam, dum scilicet aliquis se reflectit, quod aliquid cognoscat, cognoverit, vel sit cogniturus, v.g. si video astrum in se, est cognitio directa, cum autem video in se et simul in imagine, est reflexa: sic si me reflecto, quod cognoscam Deum, vel cognoverim vel sim cogniturus est cognitio reflexa super cognitionem praesentem praeteritam vel futuram, et consequenter terminus mentalis reflexus.

Terminus vocalis et scriptus dividitur imo in significativum et non significativum. Terminus significativus est vox significans ad placitum, vel ducens in cognitionem rei quam significat ex voluntate instituentium, ut vox homo me ducit in cognitionem hominis: non autem opus est, ut actu ducat sed ut saltem possit praevie ducere. Terminus non significativus est, qui nihil significat ex institutione hominum, ut vox blictri, scindapsus.

Dices contra ista imo propositio mentalis probabiliter est actus indivisibilis, sed quod est indivisibile, non habet partes, ergo propositio mentalis non habet partes vel terminos. R. dist. maiorem est indivisibilis realiter concedo maiorem: formaliter nego maiorem et sic distincta minori non consequentia realiter distinguuntur, sicuti una res ipsa non est altera, ut homo realiter non est equus. formaliter distinguuntur, quae quidem re ipsa sunt idem, sed ab intellectu concipiuntur, ac si essent distincta

ut animal in capite et in pede.

Dices 2do vox blictri componitur ex litteris aliquid ex institutione significantibus, ergo et compositum aliquid significare. confirmatur audiens vocem blictri ducitur in cognitionem loquentis, ergo aliquid significat. R. ad minorem distinguo antecedens, componitur ex partibus sive litteris aliquid aliud praeter se solas ex institutione significantibus N. antecedens, se solas significantibus C. antecedens. distinguo etiam consequens ergo est compositum aliquid significare a se distinctum N. consequentiam a distinctum quod non sufficit C. consequentiam. omnes aliae voces omnium linguarum, si significant ex institutione, significant aliquid a se distinctum quod non facit vox blictri. Ad confirmationem C. antecedens distinguo consequens ergo significat aliquid naturaliter praecise ut a se distinctum C. consequentiam aliquid distinctum et ex institutione hominum N. consequentiam, de his posterioribus tantum terminis in definitionibus hic est quaestio.

Dices 3tio vox blictri significat nihil ergo hoc ipso significat aliquid. probatur consequentia vox blictri idem significat quod vox nihil sed vox nihil significat aliquid, ergo etiam blictri significat aliquid. confirmatur imo blictri significat terminum non significativum, sed hic est aliquid, ergo significat aliud. confirmatur 2do blictri ab omnibus datur pro termino non significativo ergo hunc significat ex institutione.

R. ad imo distinguo antecedens, vox blictri significat nihil positive, sive habet ex hominum institutione significationem negationis, N. antecedens. tantum negative sive habet negationem significationis et institutionis C. antecedens et N. consequentiam. ad huius probationem N. minorem: vel distinguo idem significat et eodem modo N. minorem: diverso modo transeat minor: vox enim nihil significat nihil positive vox vero blictri tantum negative idque ex natura sua, non hominum institutione.

Dices: etiam vox nihil non habet significationem alicuius rei, ergo par est ratio. R: distinguo antecedens non habet significationem alicuius rei positive C. antecedens negative N. antecedens et consequentiam. blictri ~~tamen~~ ex hominum institutione

nec aliquid positivum significat nec negativum.

Ad primam confirmationem D[istinguo]: anteced. vel dico: ficte significat terminum non significativum ex institutione N[ego]: anteced. mere naturaliter C[oncedo] anteced. et N[ego]: consequentiam. Est quidem terminus non significativus, hoc ex compositum aliquod ex Latinis literis se solum sed nihil a se distinctum, ut aliae voces ex institutione significant, et tamen significat terminum non significativum sed tantum naturaliter, sicut imagines Jovis.

Ad 2dam confirmationem C[oncedo] anteced. N[ego]: consequentiam. Ad hoc enim, ut aliquid significaret ex institutione deberet habere significationem positivam termini non significativi, hanc autem non habet, sed potius negationem significationis positivae. Det tamen pro exemplo termini non significativi, quid ergo sit hunc tantum significare negative sive habere negationem institutionis et positivae significationis; alias omnis ineptissima et puerilis litterarum compositio significaret ex institutione.

Terminus significativus subdividitur ulterius in cathegorematicum et syncathegorematicum. Cathegorematicus est qui se solo tam perfecte significat, ut possit esse subiectum vel praedicatum, ut sunt omnia substantiva, et adiectiva, quae aliquid determinatum significant, et se solis possunt esse praedicatum, ut doctus, quod simul etiam significat determinatam formam doctrinam ut albedinem. Syncathegorematicus est, qui se solo et formaliter sumptus pro suo significato non potest esse praedicatum et subiectum atque ita seorsim nihil complete significat, ut sunt casus obliqui, adverbia praepositiones, coniunctiones, interrogativa relativa, et omnia adiectiva, quae universalitatem particularitatem aut numerum significant, ut omnis, nullus, aliquis, duo etc. Sic nulla est propositio: Petrus est omnis, Petrus est valde, est autem bona haec: Petrus est doctus, quia sensus est: Petrus est subiectum habens doctrinam.

Terminus incomplexus est, cuius partes seorsim vel nihil vel non

idem significant quod prius, ut Dominus Erasmus. Dominus Erasmus.
Terminus complexus est, cujus partes significant seorsim, quod conveniunt, ut
hoc doctus, unde sit ratio ex duobus terminis collectis. Ideo debet esse inter
illos aliqua connexio, qualis quam inter substantivum et adjectivum, vel possess-
ativa aut dictio inter se connexa, ex particulam et aliis similibus; si vero
non datur connexio, tunc sunt termini disparati. Istud defendit extra
positionem habere perfectam Cathegoriam significationem, ut possint esse
extremum propositionis formaliter sumptum; hinc vox unita propria
non est talis, quia vox propria se sola non potest esse extremum. Ista non debent
esse synonima ut Marcus Tullius Cicero, unde si dico, nullus homo licet
homo nullus separatim significet quod conveniunt, tamen non est terminus com-
plexus, quia non habet reliqua requisita ad terminum complexum.
Officium termini syncathegorematici est consignificare, secundum terminus adje-
ctivus est consignificans, ideo etiam syncategorematicus. Confirmatur terminus
adjectivus se solo tam imperfecte significat quam syncathegorematicus. Resp.
ad mentem Adversariorum: terminus syncathegorematicus est consignificans hoc est talis
qui se solo potest esse subjectum vel praedicatum et perfectum sensum facere [illegible]
nec est consignificans quomodocunque [illegible] disputationi: sed terminus
adjectivus est consignificans id est talis qui tamen potest esse subjectum vel praedicatum
et cum substantivo perfectum sensum facere. Adm. nec est consignificans quom-
odocunque. N. min. et contra. Ad confirmationem N. min. licet
enim se solo non possit esse subjectum, potest tamen esse praedicatum quod non potest
terminus syncathegorematicus [illegible] sed semper aliquid aliud
subintelligitur ut si dico Deus est creator et creator omnia. Subintellige
entium in instantiis. Etiam sub adjectivis intelligitur substantivum
esse pariter. Q. disputantes subintelligit substantivum significantem
per ipsum adjectivum. Ideo orationes non sunt [illegible] sed aliud intellectum
N. antecedens et contra. Adjectiva v.g. doctus ex natura sua significant
subjectum habens doctrinam, ideo per se potest esse praedicatum, quin aliquid
aliud subintelligatur, e contra si dico nullus est in foro

subintelligit quidem substantiam hõo sed hoc deinde
debet colligi quam per terminum intelligi.

Caput Sextum

De termino concreto, et abstracto.

Terminus concretus est, qui significat subiectum et formam sive per modum
compositi, ut albus significat subiectum et albedinem tanquam formam,
quae in muro v.g. recepta et illum denominat album. murus ergo vocatur
subiectum denominationis, albedo vero quae in illo recipitur et ei dat
denominationem albi vocatur forma. Et terminus abstractus, qui significat
solam formam albedo etc.:

Triplex autem est concretum vel denominatio, adaequate scilicet
intrinseca, extrinseca et partim intrinseca partim extrinseca.
Adaequate intrinseca est quando forma denominans adaequate inest
subiecto, ut albedo muro, humanitas vero homini tantum formaliter inest
quia cum illo realiter est idem. Denominatio extrinseca est, cum
forma non inest subiecto, ut in concreto visus cognitus etc.; quia visio
cognitio etc. non sunt in re visa vel cognita sed videnti cognoscenti etc.
Concretum partim intrinsecum partim extrinsecum est, si forma subiecto
partim est intrinseca, partim extrinseca sic similitudo duorum
murorum alborum non est uni adaequate intrinseca, sed partim uni,
partim alteri.

Concretum physicum est cum forma physice vel realiter est distincta a
subiecto ut albedo a muro. Concretum metaphysicum est cum forma
realiter est idem cum subiecto, et tantum formaliter distinguitur, ut animal
et rationale. Concretum substantivum significat per modum per se stantis,
ut homo; ex ergo adiectivum per modum adiacentis albus, doctus.

Concretum formaliter vel reduplicative sumitur, quando praedicatum
subiecto convenit non ratione subiecti secundum se praecise, sed formae,
ut si dico: album est coloratum, est reduplicatio, quia praedicatum coloratum
convenit subiecto ratione albedinis, quae est forma, ideo enim res est colorata,
quia habet colorem. Signa autem termini reduplicativi ordinaria